



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. VII. Coram quo iudice petenda est restitutio in integrum, sive quis de ea cognoscere possit?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

egrum ad decendum, intra quod appellare possit.

## §. VII.

Coram quo Iudice petenda est restitutio in integrum, siue quis de eâ cognoscere possit?

Ordinariè loquendo, restitutio in integrum postulanda est à Iudice illius, contra quem petitur (quia hic in tali casu reus habetur; ex communi autem regula, actor forum rei sequi debet) aut si nullum domicilium habeat, coram Iudice loci illius, ubi contractus celebratus est, & modò reperitur, contra quem petitur restitutio. Si tamen Ecclesia læsa sit, potest restitutionem petere, etiam contra Laicum, coram Iudice proprio Ecclesiastico, ratione specialis privilegii in favorem Ecclesiæ concessi, uti colligitur ex *c. i. h. r. & c. penult. De rebus Ecclesiæ alienand.* Potest autem restituere in integrum, non quilibet Iudex, qui præcisè simplicem jurisdictionem habet (nisi incidenter tantùm coram eis, moveatur) sed ordinarii tantùm Iudices, qui in loco aliquo administrationem etiam rerum aut iurium habent, & eorum delegant, siue specialiter illis commissa fuerit hæc etiam restitutionis causa, siue incidenter in controversiam demandatam veniat, prout habetur ex *c. Causa 9. h. r. & ex eo* probatur, quòd restitutio in integrum fit actus mixti imperii, & consequenter ab eo expediri debet, non qui simplicem tantùm jurisdictionem, sed qui mixtum saltem imperium habet. Adversus ta-

men sententiam definitivam supremi Principis, aut ejus Delegati, nemo inferior restituere potest, nisi id hinc specialiter commissum sit.

## §. VIII.

De forma, ac de effectu restitutionis in integrum, ac de restituendis fructibus, & expensis.

Forma petendæ, & faciendæ restitutionis est, ut intra legitimum tempus, implorato officio competentis Iudicis ea petatur, & causâ legitimè cognitâ, & probatâ, præsentè adversario, nisi per contumaciam absit, præmissâ citatione, & litis contestatione fiat, agendo scilicet contra adversarium, vel contra hunc excipiendo. Effectus autem restitutionis in integrum ille est, ut uanisque (cum qui restitutionem in integrum petit, quam contra quem petitur) jus suum integrum recipiat, & in pristinum statum, quo contraxerunt v. g. reponantur, ita ut Ecclesiæ v. g. læsa suum recipiat, & lædens etiam (si tamen bonâ fide egerit) suum pretium, & necessarias ac utiles expensas in rem emptam bonâ fide factas, ac meliorationes recipiat: Fructus autem ex fundo v. g. restituendo percepti, si in integrum restitutio decernatur, probabilis restituendi non sunt, siue extent adhuc, siue ex illis bonâ fide consumptis locupletior factus sit. De horum tamen fructuum, expensarum, meliorationum, & c. restitutione, quia multæ litis materia esse potest, vide Auctorem hîc.